


## **Dissertatio Theologica De Statu Humiliationis Conceptione Et Nativitate Christi**

Francofurti ad Viadrum: Literis Johannis Christophori Schwartzii, 1716

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1854448463>


Druck Freier  Zugang





*Fa - 1092 (115)*





DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
STATU HUMILIATIONIS  
CONCEPTIONE ET NA-  
TIVITATE CHRISTI,

Quam

*ASPIRANTE GRATIA DIVINA,*  
IN UNIVERSITATE FRANCOFURTANA,  
PRÆSIDE

**DN. BARTH. HOLTZFUS, D.**

*PROF. THEOL. atq; ECCLESIASTE ORD.*

Fautore suo honorando

*Ad. D. XVII. Jun. A. C. MDCCXVI.*

Modesto Eruditorum Examine  
exponit

**JOHANNES GEORGIUS PAULI,**

Vratislavia Silesius.




FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Literis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII.

30

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Small white rectangular mark or label on the left edge of the page.

Small dark ink smudges or marks on the page.



DISSERTATIO  
DE  
STATU HUMILIATIONIS  
CHRISTI.

S. I.



Dacquirendam salutem hominum æternam *duplex Status* Christi Necessarius fuit: HUMILIATIONIS sc. & EXALTATIONIS: Quorum utrumque proinde Scriptura Veteris ac N. T. variis locis delineavit, & Christum subiisse docet, qualia sunt in Veteri Test. Pl. 8, 7. Heb. 2, 7. *Páulo Angelis minorem fecisti, quem gloria & honore coronasti, & omnia constituisti sub pedibus ejus.* Pl. 16, 9. 10. *Caro mea requiescet in spe: Nam non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Pl. 110, 7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Jel. 53, 10. *Domini voluit contere eum in infirmitate; Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum & Voluntas Domini in manu ejus dirigitur.* in Novo Test. Luc. 24, 26.

Opor-

Oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam. Phil. 2, 6. 7. seqq. Christus cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEO, sed semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo. Humiliavit se ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; Propter quod & Deus exaltavit illum. &c. &c. adde Psalm. 22, 24. seq. 1. Pet. 1, 11. c. 3, 18. 1. Cor. 15, 4. 1. Tim. 3, 16.

## DE STATU HUMILIATIONIS.

§. II. Hic Græce vocatur κένωσις, ταπείνωσις, ἐλάττωσις Latine *Humiliatio, Exinanitio, Depressio, Dejectio.*

§. III. *Subjectum* Quod Humiliationis est Christus, DEI & Hominis Filius, qui, qua homo, fuit in forma DEI; qua filius DEI, ipsa DEI forma & imago DEI inconspicui, Heb. 1, 3. indeque DEO æqualis: Qui nihilominus æqualitatem Dei non ambitiose ostentavit, ut solent, qui per rapinam aliquid invaserunt & acquisiverunt; sed se ipsum, volente Patre liberrima sua Voluntate, ἐκένωσε, *dejecit non mutando Divinitatem suam, sed assumendo mutabilitatem nostram, conditione servili suscepta, qua non ipse sibi ministrari curavit, sed aliis servivit, Patri obediens factus ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2, 6. 7. 8. Matth. 20, 28. Joh. 10, 18.*

§. IV. *Subjectum* Quo est Natura Christi humana, cujus sublimitas atque Eminentia resultabat ex Unione cum Divinitate; qua vero absconditâ ac tectâ, miser & reliquis hominibus similis esse voluit, omni dignitate, Majeſtate & gloria, ex Unione hypostiti-

postica fluere debita, abdicata, atque e contrario omnium miseriarum, Paupertatis, persecutionum, contemptus, dolorum, Passionum, Mortis ac Sepulturæ, perpeffione admiffa; quare non a Passione extrema, omnium graviffima, sed a Conceptione & Nativitate Statum Humiliationis censemus auspicandum.

§. V. Tametsi autem in hoc Statu passim Eminentiam suam sub humana variisque Calamitatibus obnoxia Carne occultaret; quandoq; tamen *Gloriam* suam *Divinam Exeruit*, teste Historia Evangelica, Joh. 1. 14. *Vidimus Gloriam ejus, gloriam q̄s. unigeniti, à Patre, plenum Gratiā & Veritatis.* Maxime in *Conversione Aquæ in vinum*, Joh. 2, 11. in *resuscitatione Filii Naimitici*, Luc. 7, 16. *excitatione Lazari*, Joh. 11, 4. in *sanatione surdi & muti*; Marc. 7, 37. in *prostratione licitorum qui vincire eum volebant*, Joh. 18, 5. adde Joh. 5, 21. C. 7, 46. Matth. 17, 2. Joh. 3, 2.

§. VI. *Forma* non consistit in omnimoda Deitatis depositione: Nam quod λόγος semel assumpsit, nunquam deposuit: Mansit enim DEO par. Joh. 5, 18. Sed est *μορφῆς τῆς θεῆς*, & status divini occultatio sub forma servili. Phil. 2, 7. 2. Cor. 8, 9.

§. VII. *Finis* fuit 1. Passio pro peccatis nostris in forma illa servili. Pf. 69, 5. Jel. 53, 24. 25. Matt. 20, 28. Phil. 2, 6. 7. 2. Cor. 8, 9. Gal. 4, 4. 5. 2. Salutis nostræ acquisitio. 3. veræ sanctimoniam in hominibus productio, horumq; ad statum supernaturalem evectio, Joh. 1, 9. 1. Pet. 1, 4. eaque de causa non solum Doctrinæ cœlestis promulgatio, Matth. 5, 2. 3. seqq. Tit. 2, 6. sed & exempli exhibitio, Matth. 11, 29. C. 16, 24. Joh. 13, 15. 1. Pet. 2, 21. Phil. 2, 5. seqq. Joh. 14, 6.

§. VIII. Adjuncta sunt 1. *Veritas*, quæ probatur ex locis supra allatis. §. I.

§. IX. *Necessitas, ex parte DEI*. Duo enim requirebantur 1. ut DEUS placaretur, per passionem & mortem Christi, 2. ut gratia per mortem Christi acquisita nobis applicaretur. II. *ex parte Christi*: Christus duplicē *χέρι* sustinere debuit, 1. Mediatoris, qui pro nobis satisfaceret, 2. capitis, quod nos regeret salutemque nobis applicaret. III. *ex parte nostri*. Duobus n. malis urgebamus 1. reatu coram DEO 2. macula peccati in nobis. IV. *ex parte salutis*. Quia 1. impetratio, 2. applicatio ad perceptionem salutis requirebantur.

§. X. *Terminus à quo* hujus status est, *Conceptio & Nativitas*: *Terminus vero ad quem* est *Sepultura & Descensus Christi ad inferos*. Ubi distinguimus inter *Ingressum, Progressum & Egressum*: atque ut *Ingressum à Conceptione & Nativitate* auspiciamus: Ita *Progressum Vita ærumnosa* variisque *miseriis* oppleta; *Egressum tandem Passionibus Morti præviis, sepultura ac Descensu ad Inferos* finimus.

§. XI. *Humiliationis primus Gradus est Conceptio.*

## DE CONCEPTIONE CHRISTI.

§. XII. Ne Genus humanum in peccatum lapsum miseria ac dolore tabesceret æternumque periret, DEUS illud non sine spe veniæ, Angelorum lapsorum instar, abjecit, sed Mediatorem ex muliere nasciturum promisit ac tempore destinato misit, qui non tantum nomine DEI cum hominibus ageret, iisque *Voluntatem DEI de rationibus salutis hominum* significaret, sed & nomine hominum per *Sacrificium Corporis sui coram DEO* compareret. §. XIII.

§. XIII. Hinc Deus *Philantropia* & generis humani extrema *miseria* ductus statim post lapsum indubitatis *Oraculis*, fide suscipiendis, *Semen Mulieris*, *Dragonis infernalis Caput contriturum* Gen. 3, 15. semen Abrahami, Gen. 22, 18. Gal. 3, 80. *Pacificatorem ex tribu Juda, ex familia Davidis* proditurum Gen. 49, 10. Heb. 7, 14. Jes. 11, 1. Jer. 23, 5. *Prophetam instar Mosis*, Devt. 18, 15. Act. 3, 22. *Filium Virginis, Bethlehemi nasciturum* Jes. 7, 14. Mich. 5, 5, Luc. 2, 4. *Immanuel*, Jes. 7, 14. Matth. 1, 22. 23. *Desiderium Gentium*, Hag. 2, 8. *Angelum Fæderis*, Mal. 3, 1. promisit, qui rebus humanis collapsis succurreret, omniaq; in integrum restitueret. Hinc Angelum *Gabrielem* ad annunciandam *Conceptionem Christi* misit, Luc. 1, & Christo *Corpus aptavit* Heb. 10, 5.

§. XIV. *Subjectum* quod est Christus *θεάνθρωπος*; Quemadmodum enim actiones; Sic etiam passionis sunt suppositorum. *Subjectum quo* est *Natura Christi* humana.

§. XV. *Principium actioui* est *Spiritus sanctus* Luc. 1, 25. Cujus *Actus ἐπιλεύσιως* consistunt. 1. in sanguinis purissimi separatione. 2. in ejusdem sanctificatione, in Corporis formatione & elaboratione. In qua actione *Spiritus Sanctus* se non habuit *σπερματικῶς*; Sed *δημιουργικῶς*, non *materialiter*, s. *seminaliter*; Sed *efficienter & Architectonice*. Non enim per *Virtutem Altissimi* hic intelligitur *Divina Christi Natura*, quod *Veteribus & recentioribus* quibusdam placuit; Sed *tertia Deitatis Persona*.

§. XVI. *Opinionem Veterum* quorundam *Titii Bostrensis, Gregorii Nysseni, Ruffini, Theophylacti, Joh. Damasceni*, aliorumque: item recentium aliquorum,

rum, qua per *Virtutem Altissimi* ipsum DEI Filium intelligunt, qui Sanctam Virginem obumbraverit i. e. in eam descenderit, ineffabili potentia ac modo corpus sibi formaverit, quin domum ac templum sibi ædificaverit, ut non impugnamus, ita nec nostram facimus, sed Auctoribus suis relinquimus defendendam. Vid. *Petavium Theolog. Dogmat. Tom. 2. de Trinit. lib. 3. C. 6. §. 4.*

§. XVII. Nec Spiritus Sanctus dici debet *Pater Christi* respectu humanæ Naturæ, ut statuunt Soci-niani; qui volunt Spiritum S. supplevisse vices Patris, nec tantum fœcundasse uterum B. Virginis; Sed & creasse substantiam aliquam, quæ in uterum virginis fuerit immissa, ita ut ex massa illa & virgini semine conceptus & genitus sit Christus.

§. XVIII. Negativæ rationes sunt. 1. quia Heb. 7, 3. Christus est *ἀπαύτως* secundum humanam naturam. 2. quia Christus unum tantum habet Patrem, Joh. 1, 18. c. 5, 17. Cujus respectu dicitur unigenitus, unicus & proprius DEI Filius, Joh. 1, 18. c. 3, 19. Rom. 8, 32. 3. quia Pater filium sibi genuit per essentiæ communicationem: quæ definitio generationis Spiritui S. non competit. 4. Neque filius procedit, mittitur, aut donatur à Spiritu S.; Sed Spiritus S. à filio procedit, mittitur & donatur. Joh. 15, 26.

§. XIX. *Josephus S. Mariæ Sponsus*, quamvis Christum non genuerit, Conjugii Lege tamen, fama & quia Nutritivus erat, *Pater Christi* vocatur, Luc. 2, 33. 48. Pater n. Curæ non Naturæ. Et quia vox *τέκτων* *Fabrum & lignarium & ferrarium* quin *Architectum* significat, hinc *Hilarius & Beda* a communi sententia recesserunt, & *Josephum non lignarium sed ferrarium*

rarium fuisse voluerunt; Cui errori ambiguitas vocis *τέλειον* occasionem dedit.

§. XX. *Principium Passivum totale* est S. Maria Virgo, in qua & ex qua Christus conceptus est. *Partiale* verò est uterus Mariæ Virginis, in quo Corpus Christi formatum est, non momento; sed *successivè*, ut patet. 1. Ex *Historiâ Evangelica*, ubi actus conceptionis, gestationis, & Nativitatis Christi distinctè recensentur, iisque tempus ordinarium tribuitur, Luc. 1, 38, 56. 57, Luc. 2, 6. 2. quia Christus ratione Humanæ Naturæ nobis dicitur per omnia similis ne infirmitatibus quidem exceptis; Sed solo tantùm peccato: Mat. 2, 6. 7. Heb. 2, 14. 15. c. 4, 15. 3. quia corpus Christi natum & in lucem editum *successivè* crevit; quod si Christo ignominiosum non fuit, neque etiam *successiva* formatio erit. 4. quia nulla miracula sine necessitate fingenda sunt: Scriptura v. hic nullam miraculi mentionem facit.

§. XXI. Conceptus *autem* fuit Christus *ἀναυτός* sine peccato, quia conceptus & genitus fuit non vi communis benedictionis Gen. 1, 28, sed singularis promissionis, quæ extat Gen. 3, 15. quæ promissio demum post lapsum facta fuit.

§. XXII. *Forma* Conceptionis consistit in admissione Christi in uterum maternum. Luc. 1, 31. 35.

§. XXIII. *Objectum* cui Conceptio Christi destinata fuit est universum Genus humanum, Gen. 3, 15. *Semen Mulieris conteret Caput Serpentis*. Rom. 5, 18. 19. *Sicut per unius delictum factum est ut omnes homines damnarentur: Sic & per unius justitiam fit ut omnes homines justificentur. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam*

B

justi

*justi constituentur multi. quod Augustinus vel, Propper in Articulis falso impositis, Artic. 1. emphatice expresit inquiring: Per unam omnium naturam omnium Causam a Domino nostro in veritate susceptam esse, & Justinianus Imperator Edicto quod fidei ejus confessionem continet, ait: Ipse igitur verus filius Dei omnes nos indutus est, ut omnes induamur unum DEum.*

XXII. Quibus consentiunt ex *Reformatis* JOH. HOOPERUS Anglus, Episcopus Glocestr. in *Præf. ad Exposit. Decal.* qui Protevangelium ita explicat: *Post lapsum Adami eatenus se extendit virtus & efficacia promissi divini ad salutem hominis, quatenus rigor & justitia legis valet ad homines ob peccatum condemnandos. quod probat ex Rom. 5, 18. & Gen. 3, 15. ac pergit: Quemadmodum autem in ipso eramus mali participes: ita in ipso quoque eramus, cum DEus Gratia promissum ipsi fecit, ejusdemque gratia participes facti, non ut Adami filii, sed ut Filii promissi.* BULLINGERUS in *Oratione de Moderat. servanda in negotio Provid. & Prædest. ap. Hottinger. Hist. Eccles. Sec. 16. part. 4. cap. 6. §. 23. p. m. 763. 813. 814. 815.* DEus primum illum Proto-parentem nostrum excussum arte Diaboli, & sua ipsius prava cupiditate, immersum que morti ac perditioni, restituens, omnes posteros suos universum vid. mortalium genus opus suum perire noluit; Invenit autem medium, per quod servaretur homo: ne tamen aliquid peccaretur in justitiam, Christus Dominus is est, per quem Patri placuit omnia erga se reconciliare & recapitulare, que in cælo & que in terra. Col. 1. Hoc n. illud ipsum est, quod Deus prima prædicatione Evangelica tam Protoparentibus nostris, quam omnibus nobis annuntiavit, dicens: Gen. 3. Inimicitias ponam inter Te & mulierem illam, &c. RUD. GUALTHERUS *Commentar in Jes. c. 69. p. 375. Docent vaticinia Prophetica, Jesum*

sum Christum universalem esse mundi Salvatorem, qualem etiam primæ promissiones describunt, quæ de illo datæ sunt. Etenim Adamo Parenti nostro promissus fuit, ut illum ad omnes ejus Posteror pertineret constaret. Idem in Matth. 22. p. 127. Quia Adamo parenti prima de Christo Servatore promissio facta est, in eodem simul omnibus hominibus Salutis spes aperta est, ut illum omnes ad se pertinere discerent. Eadem habet in Rom. 5. Hom. 26. p. 64. it. in 1. Joh. 2. Hom. 5. Quanti vero, adductus hic, Gualterus inter Reformatos suo tempore æstimatus sit, legi potest in Altingii Histor. Eccles. Palatin. p. 240. JOH. CALVINUS in Gen. 3, 15. Quam late propagabitur hominum genus! In Luc. 3. 38. Scimus, statim a primi hominis defectione (Salvatorem) omnibus fuisse necessarium, sicut etiam tunc destinatus fuit toti Mundo. Ceterum admirabili DEI consilio factum est, ut Christum Lucas nobis Adæ filium proponeret; eundem vero Matthæus includeret in una Abrahamæ familia. Nihil enim nobis prodesset, Christum esse datum a Patre salutis autorem, nisi promiscue esset omnibus communis; sciamus ergo patefactam & exhibitam toti humano generi in Christo salutem esse: quia Filius Noæ & filius Adam non abs re vocatur. RAPHAEL EGLINUS Iconius, Professor Theol. Marburg. Disp. de Fœdere DEI A. 1613. habita Part. 3 Th. 43. Diligenter discriminandum inter Decretum Generale DEI Fœdus Gratiæ cum toto Genere humano sancientis & ex consilio Voluntatis suæ in Adamo indefinite omnibus proponentis cum conditione, ut homines resipiscant & credant. Et inter Decretum Electionis peculiare, quo requisitam Conditionem in iis, quos Christo ab æterno dare statuit, gratiose ipse implet. Th. 44. Prius concernit remedium communi lapsui oppositum tanq. Salutis humanæ medium, ut sicut in Adamo, in Ipsius lumbis, omnes posteror ceciderunt: ita in eodem omnibus communis Promissio

*missio de semine mulieris contrituro Caput Serpentis fieret.*  
 &c. JOH. CROCIUS, in 1. Tim. 2, 4. p. 80. PAUL.  
 STEINIUS Disp. de æterna Dei Prædestinat. A. 1622.  
 Cassellis habita Th. 16. & 17. Promisit DEUS statim in  
 Paradiso post Lapsum Adamo, & in eo toti generi humano,  
 æternæ mortis reo facto, semen Mulieris, contriturum Caput  
 serpentis Gen. 3, 15. adeoque communi totius generis hu-  
 mani perditioni a Satana inductæ commune opposuit re-  
 medium per Messiam ejusque Passionem ac Mortem paran-  
 dum, cujus virtute omnes, modo vera Fide sibi illud appli-  
 caturi sint, a morsu Serpentis convalescere æternumque ser-  
 vari possint: quam Promissionem DEUS in plenitudine tem-  
 poris implevit, misso in hunc Mundum filio suo nato ex mu-  
 liere & facto legi obnoxio, ut eos qui Legi erant obnoxii  
 (obnoxii a. erant ad Unum omnes singuli, nemine excepto)  
 redimeret, Gal. 4, 4, 5. Quibus suffragantur Wolfg.  
 Musculus. Britanni in Actis Synod. Dordr. Joh. Davenant.  
 Sam. Wardus, Rich. Baxter, Joh. & Conr. Bergius, Lud.  
 Crocius, Matth. Martinius, Gerh. de Neufville, Joh. Camero.  
 Amyraldus, Dallæus, Testardus, quorum loca indicata  
 sunt Loc. de Fœdere Gratiæ §. 25. Omnibus autem il-  
 lustrior est & controversiam decidit Confessio  
 FRIDERICI III. in Syntagm. Confes. p. 148. Credo &  
 confiteor Jesum Christum - - pro Nobis mortuum ut nos  
 a maledictione quæ per primorum Parentum nostrorum A-  
 dami & Hevæ peccatum in omnes homines hæreditaria suc-  
 cessione pervaserat, assereret. ibid. p. 150. Semen Mulieris  
 qui est Dominus J. C. mactatum, ut pro totius mundi pecca-  
 tis plenam perfectamque Satisfactionem præstaret. quam  
 Confessionem laudant Calovius Syst. Theol. Tom. 7.  
 p. 531. Varenius Breviarii Controv. Theol. Supplemento  
 p. 47. & Wittenbergenses im gründlichen Beweis/ p. 177.  
 S. XXIII.

§. XXIII. *Finis* est 1. Declaratio Misericordiæ Dei  
2. Salus nostra, Math. 1, 21 3. Conceptionis nostræ im-  
mundæ sanctificatio. Heb. 2, 17. 18.

§. XXIV. Ex quibus hæc Conceptionis Christi  
exstruitur Definitio: Conceptio est primus Humili-  
ationis Gradus quo Filius DEI per operationem Spiri-  
tus S. secundum Oracula V. T. ex substantia Mariæ  
Virginis carnem humanam induit, ut in ea & per  
eam salutem nobis acquireret æternam.

§. XXV. *SECUNDUS GRADUS* Exinanitionis  
est Nativitas.

## DE NATIVITATE CHRISTI.

§. XXVI. Hæc describitur Luc. 2, 4. 5. 6. Gal. 4,  
Hebr. 2, 80. estque secundus humiliationis Gradus  
quo Filius DEI ex S. Maria Virgine, illæsa Virgi-  
nitate, tempore a DEO destinato Bethlehemi in lu-  
cem editus est, ut fieret hominum Salvator.

§. XXVII. *Subiectum* quod est Christus *θεῖνθρωπος*,  
unde Concilium Ephesinum S. Mariam *θεοτόκον* de-  
finivit.

§. XXVIII. *Subiectum* quo est humana Christi  
Natura. *Subiectum* ex quo totale est S. Virgo Maria;  
*partiale* verò est uterus Virginis. Jes. 7, 14.  
Math 1, 2. Luc. 2, 4. 5. 6. Jes. 9, 5. 6. 7.

§. XXIX. *Forma* est infantis ex utero ma-  
tris aperto egressio. Luc. 2, 24. Coll. Exod. 23, 2.  
ubi Lex de primogenito uterum aperiente Christo  
recens nato applicatur. Errant igitur, qui statuunt,  
Mariam Christum clauso utero peperisse; Ne-  
que partus *αἰώδινος* i. e. doloris expers ex Scriptura  
probari potest, Gen. 3, 16. Joh. 16, 21.

B 3

§. XXX.

§. XXX. Attamen ut fuit ante, ita mansit in & post partum *purissima Virgo*, quod contra *Helvidium & Antidico-Marianitas Hieronymus* recte defendit. *Frates* enim, qui Christo tribuuntur, Marc. 3, 32. more Hebræorum *cognatos* significant, & *primogenitus* appellatur, ante quem nullus alius ex illa matre genitus est sine respectu an alius vel nullus sequatur. Adverbium *Donec* Continuativum non semper tempus Præteritum ita determinat, ut futurum excludat, sed sæpius indeterminate sumitur, ut tempus sequens omne includatur ac per semper in affirmativis, per Nunquam in negativis prædicationibus exponi debeat, v. gr. Gen. 8, 7. Matth. 28, 20. 2 Sam. 6, 22. Ps. 110, 1. Conf. Glasf. Grammat. L. 3. Tract. 5 de Adverb. Can. 12. p. 453. vel p. 960.

§. XXXI. *Objectum* cui Nativitas Christi destinata fuit est *Genus humanum* ex Lapsu Adami miserum; *primario* quidem *Judæi*, quibus proinde Angelus de nato hoc Salvatore gratulabatur, Luc. 2, 10. Matth. 15, 24. *Non sum misus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel.* Rom. 15, 8. *Secundario* *Gentiles*, qui cum *Judæis* totum *Genus humanum* constituebant. Hinc *Salus hæc*, a maxima *Judæorum* parte repudiata *Gentilibus* oblata fuit, Joh. 1, 11. *In propria venit, sed sui non receperunt eum, dedit v. potestatem filios DEI fieri, his qui credunt in nomen ejus.* Act. 13, 46 47. ex quo tempore secundum destinationem DEI, salutaris hæc *Gratia communis* facta est omnium hominum, ab omnibus fide recipienda: Tit. 2, 11. *Apparuit Gratia DEI salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, &c.* Luc. 2, 31. 32. secundum Oraculum *Jes. 49, 6* quæ emphatice expressit *Ambrosius* in Ps. 118. Serm. 8. fere extremo

extremo: *Mysticus Sol ille Justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit ideo a. passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum generali beneficio se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios Solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit, sed quod Solis est, prærogativam suam servat: quod imprudentis est, communis a se gratiam lucis excludit. Quod et significantibus verbis exposuit CALVINUS in Luc. 2, 10. Quod gaudio ad se pertinente privati sunt magna ex parte Judæi, eorum incredulitate factum est, sicuti hodie omnes communiter invitati DEUS ad salutem per Evangelium, sed facit mundi ingratitude, ut Gratia hac PERÆQUE omnibus exposita pauci fruantur. ibi. Nunc diruta maceria ad totum humanum genus spectat eadem Legatio: nam Christus pacem annunciat non tantum iis qui prope sunt, sed qui procul, nec minus extraneis quam domesticis, Eph. 2, 17.*

§. XXXII. *Finis est vel Summus Luc. 2, 14. vel Subordinatus. Summus est Gloria, Veracitatis DEI, Luc. 1, 54. 55. 70. 71. Rom. 15, 8. 9. Sapientiæ, 1 Pet. 1, 12. Eph. 3, 9. 10. Misericordiæ, Luc. 1, 78. Joh. 3, 16. Rom. 5, 8. 1 Joh. 4, 9. Sanctitatis & Justitiæ, Act. 20, 28. 2 Cor. 5, 19. Potentiæ, Luc. 1, 49. 51. Subordinatus, est Hominum Redemptio. Luc. 1, 74. Joh. 3, 16. Eph. 1, 7. 1 Joh. 3, 8. vera Sanctimonia. Luc. 1, 75. Tit. 2, 11. 12. Act. 3, 26. Rom. 6, 18. Matth. 1, 21. Vita æterna, Joh. 3, 16. 1 Joh. 4, 9.*

§. XXXIII. *Effectus est Pax Conscientiæ in credentibus, Luc. 2, 14. Col. 1, 20. Rom. 5, 1. in mundo, Cessatio idololatriæ, quod fatetur ipse Dæmon in verbis, qui circumferuntur:*

*Me Puer Hebræus Divos DEus ipse gubernans  
Cedere sede jubet tristemq; redire sub Orcum.  
Aris ergo dehinc tacitus discedi to nostris.*

§. XXXIV. *Locus* Nativitatis est *Bethlehem* secundum Oraculum Mich. 5, 2. quod impletum, Luc. 2, 4. 11. Dissentiunt vero Interpretes, num Christus in ipsa urbe, oppido s. vico Bethlehem, an vero in agro, suburbio ejusq; diversorio vel spelunca ejus natus sit? Posterius vult *Justinus Martyr*, non procul Judæa natus & educatus, cujus temporibus satis recens fuit rei memoria, & *Scriptor* vetus *Homilia*, quæ inter opera *Chrysofomi* edita fuit; ex ceterioribus *Cæs. Baronius*, *Montacutus*, *Grotius*, aliique *Viri Docti*, quorum opinionem licet non improbabilem censeamus, priorem sententiam tamen huic præferimus propter rationes seqq. (1.) *Micheas* c 5, 2. & *Matthæus* 2, 6. it. *Joh.* 7, 42. dicunt Christum ex *Bethlehem* proditurum fuisse & prodiisse. (2.) *Matth.* 2, 1. 5. *Luc.* 2, 4. affirmant, Christum *Bethlehemi* (ἐν βηθλεέμ) natum esse. (3.) *Pastores Bethlehemum* properant, ab *Angelis* instructi, *Luc.* 2, 15. (4.) *Herodes Magos Bethlehemum* (εἰς βηθλεέμ) mittebat, ubi, ingressi domum, invenerunt puerulum, *Matth.* 21, 11. (5.) Consentiant *Ecclesiæ Doctores* omnium seculorum, paucis exceptis.

§. XXXV. *Tempus* est vel *Generale* vel *Speciale* vel *Specialissimum*. *Generale* est quod Christus natus est in *Complemento Vaticiniorum Vet. Test.* *Gal.* 4, 4. quando sc. *Sceptrum a Juda* auferendum vel ablatum fuit, *Gen.* 49, 10. quando *70. Hebdomades Danielis* vel finitæ erant vel finiebantur, *Dan.* 9, 24. seq. *Templo* adhuc stante, in quod *Dominus* & *Angelus fœderis*  
it.

it. *Desiderium gentium* venire debuit, Hag. 2, 4. 10. Mal. 3, 1.

§. XXXV. *Tempus Speciale* Nativitatis Christi, indicat Lucas c. 2, 1. inquit, infantem hunc *Imperante Augusto* in lucem editum esse & quidem cum Augustus censum ageret, ut numerum subditorum suorum cognosceret. Vulgo quidem ex Luc. verbis v. 2. creditum fuit *Quirinium* tunc temporis, in Judæa Procuratorem s. Præsidem fuisse; Verum cum *Josephus* Antiq. Jud. l. 16. c. 17. L. 17. c. 7. L. 18. c. ult. non *Cyrenium* vel *Quirinium*, sed *Sentium Saturninum* & *Quintilium Varum*, illius successorem, nominet; *Tertullianus* quoque contra Marcion. 4. c. 19. censum per *Sentium Saturninum* actum, referat; quin, *Tertullianus* Tabularum hujus Censu non semel meminerit c. l. inde dubitandum non videtur, *Jesum*, *Quintilio Varo*, *Syriæ Præsidi*, natum esse, fatente *Huetio Demonstrat. Evang. Propos. 9. §. 3.*

§. XXXVI. Nec tamen putamus, Luc. 2, 2. pro *Cyrenio Saturninum*, vel cum *Huetio*, *Quintilium* substituendum esse, vel cum *Cappello*, *Hist. Jud. Comp. p. 107.* parenthesis illam v. 2. insititiam declarandam esse: Temeritatis enim & audaciæ nota inuri posset ei, qui receptam Lucæ lectionem sollicitaret, non diffitente *Huetio*; Sed censemus potius, verba Lucæ v. 2. ita reddenda esse: *Hæc descriptio prius, s. ante facta est, quam præsideret Syriæ Quirinus*; quia *πρωτη* vel *πρωτος* alibi etiam *πρωτερον* vel *πρωτερον* significat: ut Joh. 1, 27. c. 15, 18. c. 20, 4. Quam explicationem primus protulit *Joh. Georg. Herwartus Chronol. c. 241. 242.* et amplexus est *Grotius Commentar. in Luc. 2, 2. Th. Reinesius in Epist. ad Rupert.*

57. it. Joh. Coccejus in Luc. 2, 2. & Jac. Perizonius *Disf. de Augustea Orbis Terrar. Descriptione*, §. 21. 23. &c.

§. XXXVII. *Specialissimum Tempus*, Annum, Mensem, & Diem Nativitatis designare debebat; verum Lucas c. 2, 1. *Imperium* quidem *Augusti* nominat, *Annum* autem *Imperii Augusti*. uti *Herodis* tacet, indeque *Connexio* æræ Christianæ cum æra *Augusti* dubia manet: quam alii a Cæde *Jul. Cæsaris*, alii a *Triumviratu*, alii a *Victoria Actiaca*, alii a *delato ei nomine Augusti*, ducunt; ac *Dionysius Exiguus*, natione *Scytha*, professione *Monachus*, *Abbas Romanus*, qui floruit A. circiter 532. sub *Imp. Justiniano* primus a *Nativitate Christi* Annos supputavit, cujus *Æram* *Christiani* hodie sequuntur, tametsi hæc *Æra* secundum *Chronologos* plerosq; peccet *μεταχρονισμῶ* s. defectu annorum aliquot, quamvis alii *annum*, alii & quidem plures *biennium*, alii quoque *triennium*, alii *quadriennium*, alii *quinguennium*, *Cappellus* *sexennium* numerent. Neque de *Anno* tantum sed de *Mense* etiam dubitatum fuit ac dubitatur, nonnullis *Januarium*, aliis *Aprilem*, aliis *Octobrem*, vel finem *Septembris* cum *Scaligero*, *Beroaldo*, *Calvisio*, plerisq; *Decembrem*, cujus 25. die *Natalitia* hodie celebrantur, constituentibus ex *Latinorum Traditione*. *Diem* autem definire solius *DEI* est, non hominis.

§. XXXVIII. Pro *Decembri*, ejusque 25to *Die* rationem petunt ex *Joh. 3, 30*. *Illum oportet crescere, me a. minui*: quasi *Johannes Bapt.* dicere voluerit: *Christum* circa *Solstitium hybernum* natum oportet cum *Sole* crescere; me v. *Johannem* circa *Solstitium æstivum*. 24. *Junii die* natum oportet cum *Sole* decrefcere, adeoque minui. Verum explicatio ea precaria est, nec locus citatus respicit *nativitatem* vel *Christi* vel *Johannis Bapt.* sed docet, non *Johannem Bapt.* sed *Jesum Naz.* esse *Messiam*, quem proinde *Auctoritate*

tate ac Fama Muneris oporteat crescere, ita ut omnes & ipse Johannes Bapt. eum amplectantur & sequantur; Johannem vero prodromum, deposito munere suo, oportere extenuari ac tandem disparere, ut Lucifer, stella, oriente Sole.

§. XXXIX. Nec *Zacharias*, Joh. Baptista Pater, Summus Pontifex fuit, qui cum Sangvine, in *Festo Expiationis*, Adytum ipsum semel Anno, mense Tisri, ingressus est, unde Viri quidam Docti fundamentum petunt, Christum mense Decembri natum esse; Sed fuit Sacerdos gregarius *clasis Abia*, Luc. 1, 5. sorte electus ad thurificationem & oblationem Sacrificii quotidiani, matutini & vespertini, quam *עֲשׂוּגִיאוֹ* suam humiliter ceteris Sacerdotibus classicis observavit. Mensis etiam Tisri respondet parti Septembris & parti Octobris nostri, qui proinde ad Decembrem nostrum vix aut ne vix quidem reduci potest.


§. XL. *Opposita* sunt virulenta figmenta *Judæorum*, qui longe diversam de *S. Maria Virgine* & *Josepho* Fabulam, odio Veritatis, excogitarunt; sc. de *Mirjam*, Filia *Kalphi*, oriunda non ex tribu *Juda*, sed *Benjamin*, ante sponsalia ornatrice mulierum vel plicatrice s. comtrice capillorum muliebrium, quæ nupta fuerit cuidam *Pappo* secundum Legem, sed propter formæ præstantiam raptâ a *Josepho Pandira* Nazareno, cui pepererit *Jesum Nazarenum* atque alios filios filiasque: Unde *סַטְדָּא דֵּעֲלִינָוִיל* *Sattda Declinavit illa*, vel etiam *Stada* vocata fuit. quam Fabulam hodierni quidem *Judæi* de *Jesu* nostro intelligi nolunt; ad eum tamen digitum intendi rationibus non contemnendis probat *Buxtorffius* Lexico Thalmudico ad Vocem *סַטְדָּא* p. 1458. seq. *Lent Theol. hodiernæ Jud.* c. 4. §. 10. 16. *Wagenseil* & *Joh. Jac. Huldericus*, in libro pestilenti, *Sepher Tholedoth Jeschua hannozri* §. I. qui figmentum hoc refellunt. II. *Judæorum* & *Philosophorum Gentilium* objectio, quod incredibile videatur,  
DEUM


DEUM viscera & sordes uteri muliebris subire & Corpus humanum inde suscipere : ad quam respondent Doctores primitivæ Ecclesiæ & συγκατάβασιw eam, eumque ad vilitatem nostram descensum hoc simili declarant: *Si quis videat parvulum in profundo cœni necari, & ipse cum sit vir magnus & potens, extremum, ut ita dixerim, ingrediatur cœnum, & parvulum liberet morientem, pollutusne a te accusabitur hic vir, qui paululum calcaverit luti, an ut misericors laudabitur, quod vitam contulerit morituro?* Solis adhibent similitudinem, cujus radius, si in cœni alicujus voraginem demittatur, nunquidnam aliquid inde pollutionis acquirit? item Ignis, qui nulla materia vel obscena vel turpi adhibita pollui creditur. Tandem ita concludit Ruffinus: *Nos hominem a Deo creatum de terræ limo dicimus. Quod si obscenitas DEO reputatur opus suum requirenti, multo magis ei reputabitur opus istud ab initio fabricanti. Et superfluum est dicere, cur per obscœna transierit, cum non possis dicere, cur obscœna condiderit.* Ruffinus in Symbol.

§. XLI. Christus in ipsa Pueritia Parentes Hierosolyma comitabatur, ad Paschatos Festum, ubi in templo cum Doctolibus differuit ex Lege & Prophetis, Luc. 2, 46. Parentibus alias subditus, v. 51. An vero intermedio inter puerilem ætatem & inchoatum Munus publicum ædes verterit, ligna & segmenta fabrilia ad focum instruendum collegerit, Nutritium in arte fabrili juverit, atque ut Justinus Martyr scribit, τεκτόνια ἔργα εἰργάζετο, ἀπορῶν καὶ ζυγῶν, hacque ratione convitiis civium suorum locum fecerit: *Nonne hic est faber Filius Mariæ, Marc. 6, 3. in medio putamus relinquendum!*

O. A. D. G.









DEUM viscera & sordes uteri muliebris subire & Corpus humanum inde suscipere : ad quam respondent Doctores primitivæ Ecclesiæ & συνταξιάρχαι eam, eumque ad vilitatem nostram descensum hoc simili declarant: *Si quis videat parvulum in profundo cœni cari, & ipse cum sit vir magnus & potens, extremum, si dixerim, ingrediatur cœnum, & parvulum liberet eum, pollutusne a te accusabitur hic vir, qui paululum contulit, an ut misericors laudabitur, quod vitam amittit morituro?* Solis adhibent similitudinem, si in cœni alicujus voraginem demittatur, quid inde pollutionis acquirit? item Ignis, si in fornace vel obscena vel turpi adhibita pollui creditur, quid inde pollutionis acquirit? Ruffinus concludit Ruffinus: Nos hominem a Deo reputatum, si in cœni voraginem demittatur, multo magis ei reputabitur opus istud, si in fornace vel obscena vel turpi adhibita pollui creditur. Et superfluum est dicere, cur per obscena non possis dicere, cur obscena condiderit. Ruffinus.

§. XLI. Ch. 1. Parentes Hierosolyma comitabatur, ad Patrem ubi in templo cum Doctores differuit ex Legibus Luc. 2, 46. Parentibus alias subditus, v. 51. An inter puerilem aetatem & inchoatum Mundi verberit, ligna & segmenta fabrilia ad focum allegerit, Nutritium in arte fabrili juverit, sicut Martyr scribit, *τεκτόνια ἔργα ἐργάζετο, ἀπὸ τῆς οἰκίας* et sic etiam in hac occasione convitiis civium suorum locum habuit, *ὁ πατήρ αὐτοῦ ὁ κατασκευαστής τῆς οἰκίας* faber Filius Mariae, Marc. 6, 3, 3. relinquendum.

O. A. D. G.

